

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Et genere nobili,& literarum cognitione praestanti, N.a N. amico suo, S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

gis me delectauit ornatissimi uiri D. Guilhelmi testimonium, qui te, cum essemus Lypsiae, honestissimis laudibus ornauit, quas etiam aliqua ex parte ad me pertinere iudicarem: tamen tua magis quam mea gloria delectabar. Itaque te adhortor, ut omni studio des operam, et honestorum hominum iudicia de te tuare. Quod ut facias, et oro Christum: et non aliter opto, quam si ex me natus esses. Deo uolente, hac hyeme institutum opus Anatomicum absoluemus, praesertim in hoc secessu. Aliquoties hic disputauimus, ubi tuum ingenium etiam requirimus. Sodales tuos amater meis uerbis saluta. Vale.

Et genere nobili, & literarum cognitione praestanti, N. à N. amico suo,
S. D.

Delector tuo officio, mi N. quo de successu tuo ac studijs tuis ad me scripsisti. Agnosco enim ea in re tuum erga me amorem: quem, quia de tuo ingenio bene et amanter sentio, facio plurimi. Ceterum de migratione leges nullae impositae sunt auditoribus. Quare ego quidem facile patior ijs in locis te uersari, ubi poteris quam commo distime uiuere. Illud tibi enim opto, ut sodalitiu habeas literarium, qui cum oblectes et exerceas ingenium foelicissimum. Quod si pergis excolere, polliceri tibi ausim, te et tibi et patrie ornamento futurum esse.

esse. Compārent enim notæ singularis cuiusdam sollicitatis in oratione tua. Quare non desino te hortari, cum tua, tum Reip. causa, ut in ijs artibus, in quibus cum expectatione nostræ uersaris, intendas, ut ad Rempub. instructior accedere possis. Ac Minervam Homericam quoq; tibi illud dicere putes, quod Telemacho adolescenti dicit,

ἄλλῃμος εἰς ἴνα τίς σε λαὶ ὀψιγενῶν εὔεπι.

Breui eam partem scholæ, quæ secessit in Tyrripetæ, reducturi sumus, Deo uolente. Te quoq; cum tibi erit cōmodū, redire, ac nobiscū cōmunia studia tractare ac ornare cupio. Bene uale, 22 Ianuarij.

Clarissimo uiro, &c. Secretario illustrissimi Principis Alberti Ducis Borussiae, S. D.

Multæ sunt causæ, cur Deus semina magni amoris parēum erga natos cordibus nostris indiderit. Sed hæc præcipua est, ut hic affectus nos commoueat de amore Patris æterni erga filium Iesum Christum, & erga nos. Remoueamus igitur à Deo Stoicam sententiā, & uerè nos ab eo diligere statuamus. Sciamus etiam, placere ei in nobis similem adfectum erga natos. Ideo fateor me ualde dilexisse filiam, & ea extincta in magno dolore esse: quem tamen cogitatione doctrinæ cœlestis moderari studeo. & uobis gratias ago, non solum quòd nunc

amari-